



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio III. De pœna damni propria dæmonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

De perfectione supernaturali Angelorum. 275

SECTIO III.

De pœna damni propria demonum.

PRæter pœnam sensus hætenus explicatam, certum est pœnam damni præcipuam esse pœnam damnationis demonum, consistit autem tota in eo quod sciant se per sententiam irrevocabilem exclusos esse ab æterna beatitudine, atque ab omnibus bonis quæ illa secum affert: potest autem considerari hæc pœna. Primum, in intellectu excæcato. Secundo, in voluntate obstinata. Tertiò, in afflictione quæ sequitur hanc priuationem omnis boni, & cumulum omnis mali.

§. I.

Excæcatio intellectus Demonum.

DVplex in intellectu Dæmonum considerari potest pœna. Prima est priuatiua, quæ pertinet ad pœnâ damni, quia per eam priuatur aliqua perfectione actuali vel habituali, quam habiturus erat si non peccasset. Secunda est positiua per quam habet intellectus ille aliquid disconueniens, ex quo sequatur afflictio magna in voluntate.

Duplex dubitatio. Ratio dubitandi primò est, quia consentaneum videtur quod intellectus dæmonum sit priuatus totâ perfectione naturali quam habuit ante peccatum, quia ex illa tanta perfectione scientiarum naturalium existeret sine dubio voluptas & delectatio magna in voluntate. Secundo, sequeretur etiam rectitudo aliqua in operationibus, quia ex cognitione perfectæ boni connaturaliter sequitur eius amor.

Pœna positiua. Dico primò, intellectus dæmonum non amisit illam perfectionem naturalem quam habuerit ante peccatum: perfectiones autem omnes supernaturales omnino amisit: & rectitudinem omnem iudicii practici in materiis moralibus.

Primam partem, de scientiis naturalibus, probant Theologi communiter, quia illæ nullam habent repugnantiam cum peccato, quam in rem dixit optimè S. Dionys. cap. 4. de diuin. nominib. quod, *quæ per naturam sunt incorruptibilia per peccatum non corrumpuntur*. Secundam etiam partem de perfectionibus supernaturalibus probant ex sæpè citato loco Ezech. *amissi sunt sapientiam tuam in decore tuo*: nam quàmuis (sapientia) significare possit cognitionem quæ ordinetur ad diuinum amorem incendendum, tamen reuera hîc intelligitur de omni dono supernaturali pertinente ad intellectum, quia excæcatus est in æternum rebellis spiritus, & qui prius lumen erat, incidit in tenebras interiores, & exteriores; nihil enim in eo mansit supernaturale à quo ablatum est totus splendor gratiæ, vnde sequitur etiam quod omnem amisit rectitudinem iudicii practici, quia illud est iudicium quo inducimur, ad rectè operandum, sed nullum habet iudicium nequam spiritus, quo inducatur ad rectè operandum, ergo nunquam habet dæmon vllum iudicium practicum rectum in materiis moralibus circa quas benè operamur, vel malè.

Pœna positiua. Dico secundo, altera etiam est in intellectu dæmonum pœna positiua consistens in eo, quod necessariò semper cogitet ea per quæ affligi potest, addeò vt ab illis abducere nunquam possit cogitationem.

Ratio est, quia etiam naturaliter ex summo malo quod quisque patitur, sequi solet, vt ab eo auocari non possit cogitatio, sed cogitetur etiam iugiter quod valde cruciat: Deindè cum hoc etiam ad cumulum doloris sit necessarium, accedit etiam sine dubio diuina virtus, per quam damnatorum omnium cogitatio sic applicetur ad considerationem miseræ propriæ, & continuo sine vlla interruptione præsens illis

Tom. I.

fit: quod etiam videtur indicatum c. 12. Danielis, *de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum, vt videant semper*.

Sex igitur sunt quæ cogitant illi & vident semper in tenebroso illo lumine quod restat illis ad cruciatum: primò Deum iratum & infensum capiti eorum imminentem armatum flagellis, nunquam placandum. Secundo, amissionem visionis beatæ, ac possessionis æternæ Dei, & omnium thesaurorum beatitudinis. Tertiò, totam pœnam sensus. Quarto, illorum omnium æternitatem. Quintò, bona omnia præterita & peccata ob quæ in tantam inciderunt calamitatem. Sextò, denique fœditatem suam. Ex quibus omnibus dolor erumpet sine dubio acutissimus.

Ad primam Resp. nullam ex scientiarum naturalium cognitione posse in voluntate dæmonum sequi delectationem, quia illam summus impedit mœror in quo demersâ misera voluntas scintillam illam voluptatis non sentit, vt statim dicam, sicut si in fornacem valde accensam proicias guttulam aquæ, nihil inde ardor minuitur, sed magis accenditur.

Ad secundam similiter Resp. summam malitiam quam habet voluntas malorum Angelorum impedire ne cognitio veritatis impellat eos vniquam ad rectitudinem operationis, vt statim constabit.

§. II.

Obstinatio voluntatis malorum Angelorum.

EX his tenebris intellectus, sequitur obduratio, & obstinatio voluntatis dæmonum, omniumque damnatorum; sic enim appellatur obfirmatio voluntatis eorum in malo, ita vt nunquam benè, semper autem malè operentur: tripliciter autem esse illa potest obfirmata. Primò circa malum præteritum, ita vt nunquam illud retraheret, & de illo peniteat. Secundo, circa malum futurum, ita vt semper peccet. Tertiò, circa bona moralia, ita vt nunquam eliciat operationem rectam, cuius triplicis obstinationis causam inquirunt Theologi, non enim est facile dicere vnde illa tanta firmitas voluntatis oriatur vt semper adhæreat malo, & nunquam possit amplecti bonum, cum tamen illa sit omnino libera, & indifferens.

Ratio enim dubitandi primò est, quia non est dubium quin damnati omnes in inferno detestentur peccata ex eodem motiuo, ex quo nos illa detestamur per attritionem; dolent enim de illis propter pœnam inferni, quod est motiuum supernaturale, honestum, videturque pœnitentia illa indicari Sap. 5. *Vbi gemunt in inferno impij detestantes superbiam & diuitiarum iactantiam*.

Secundo, durum etiam videtur esse quod dicitur, illos nunquam cessare à peccato, vel enim illis datur à Deo gratia vt non peccent, vel non datur, si datur ergo iam sunt in statu, in quo possunt cessare à mala operatione: si non datur, ergo non peccant, quia vbi deest potestas non peccandi, ibi peccatum etiam deest.

Tertiò, nulla potest assignari causa illius impotentiae morâlis, quam dicuntur habere dæmones ad nunquam benè, semper autem malè operandum, non enim esse potest negatio gratiæ, quia sine illa dictum aliàs est elici posse opera moraliter bona, & vinctationes saltem leues. Neque recurri potest ad Deum, qui vel infundat dæmonibus odium Dei quo necessitentur ad malum, vt dicere videntur Okam & Gabriel, vel quod infundat habitum necessitatem in actum malum, vt dixit Aureolus; sapiunt enim duo illa impietatem, faciantque Deum authorem mali.

Quid iugiter cogitent Angeli.

Solutio dubitationum.

Triplex dubitatio.

M m 2

Dico

Retractatio peccati

Dico primò, dæmonum voluntas ita obstinata est in peccatis commissis vt nunquam illa retractatura sit, neque ad illa retractanda per pœnitentiam supernaturalem, habeat potentiam non solum moralem, sed etiam physicam.

Ratio est, quia dæmones, & damnati omnes cum sint extra viam, omnibus auxilijs & donis priuati sunt, ad operandum supernaturaliter, atque ad pœnitendum, quod contra Origenem in pluribus concilijs definitum est.

Cessatio ab omni peccato.

Dico secundò, habent quidem damnati potentiam physicam ad cessandum ab omni peccato, sed potentiam tamen moralem non habent, adeò vt semper committant aliquod peccatum.

Ratio, cur potentia physica illis non desit, euident est, quia si carerent potentia illa physica, quâ vitari ab illis posset peccatum, certè nullum ab illis committi posset peccatum, ad quod certum est exigi libertatem, & potentiam physicam ad peccandum vel non peccandum. Impotentia autem illius moralis plures causæ inueniri possunt. Prima est summum odium Dei vindicis & tanta inferentis tormenta; hinc enim fit vt semper illi displicere velint. Secunda est summa malitia voluntatis dæmonum, quibus nihil placet nisi malum. Tertia est summa afflictio, & acerbissimus cruciatus, quo ita excæcantur & perturbantur, vt ad bonum morale attendere nullo modo valeant. Quarta, constans denegatio cuiuslibet auxilij gratiæ.

Bona operatio moralis.

Dico tertio, habent etiam damnati potentiam physicam ad moraliter benè operandum, sed potentiam tamen moralem quæ aliquando reducatur ad actum nullam omnino habent, vnde nec vnquam eliciunt vllum actum honestum, ita cum S. Thoma, communiter Theologi omnes asserunt contra Scotum, Durandum, Bassolium,

Ratio est, quia (vt dixi) totam retinent omnes damnati libertatem voluntatis ad eliciendos actus naturaliter bonos, ad quos etiam gratia non est physice necessaria, ergo impotentiam physicam non habent ad illos eliciendos: sed quia tamen ita difficile illis est rectè operari propter causas quas dixi, propterea potentiam moralem non habent ad eliciendum actum qui sit honestus, aut etiam indifferens, sed semper operantur malè, quod colligunt Theologi ex varijs testimonijs scripturarum, verbi gratia, Iob. 10. *Vbi nullus ordo* (inquit) *sed sempiternus horror inhabitat.* Ecclesiast. 9. *Nec opus, nec ratio, nec sapientia nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.*

Solutio trium dubitationum.

Ad primam Resp. non esse dubium quin damnati omnes in inferno valde decessentur peccata sua, propter quæ adeò acerbè cruciantur, sed nego illam esse pœnitentiam vel supernaturalem, vel etiam honestam: non est supernaturalis, quia motuum illud pœnarum experimentaliter quidem cognoscunt, sed non supernaturaliter, atque adeò non est motuum ipsis supernaturaliter, quale illud nobis est, qui Fide diuina illud credimus: non est etià actus honestus, quia est timor seruilis cum seruitute qui peccatum est.

Ad secundam Resp. nullum dæmonibus & damnatis impositum nunc esse præceptum supernaturale, quod obseruare teneantur, sed sola præcepta naturalia ad quorum obseruationem nulla gratia est physice necessaria, sed ad summum moraliter: ita nulla datur gratia damnatis, & nihilominus physicam habent potentiam ad non peccandum, quæ non est aliud quàm libertas, potentiam autem moralem non habent ex defectu gratiæ.

Ad tertiam Resp. plures allatas esse causas illius impotentia moralis, ad vitandum peccatum, quarum vnâ dixi esse denegationem omnis gratiæ, quæ non

est physice necessaria ad obseruationem legis naturalis, reliquæ verò causæ quas attuli ostendunt, ne faciliora quidem opera fieri posse ab illis.

§. III.

Summa afflictio voluntatis damnatorum.

Afflictionem hîc appello, actum illum voluntatis qui versatur circa malum præsens cum acerbitate summa, & inquietudine, quæ inquietudo propriè quid sit, & quomodo, superaddat aliquid illi actui voluntatis circa malum, non est huius loci explicare, quæri ergo potest, quanta sit afflictio in omnibus damnatis, deinde, vtum illa omne omnino gaudium excludat.

Ratio dubitandi est primò, quia est difficile dicere quomodo nullum verum gaudium sit in dæmonibus, quia sicut ad dolorem sufficit præsentia mali odio habiti, vel carentia boni desiderati, sic ad gaudium præsentia boni amati, vel absentia mali, sed sæpè multa dæmonibus eueniunt quæ valde illi desiderant, vt peccata, & damnatio plurium quos oderunt: ergo nihil videtur dæmonibus deesse ad verum gaudium.

Secundò, sicut summum gaudium beatorum non excludit omnem tristitiam, vt patet in Christo Domino, qui licet summè beatus esset, tristitiæ tamen fuit capax, similiter afflictio summa dæmonum videtur non excludere omnem voluptatem, non enim est dispar ratio.

Dico primò, afflictio dæmonum, & damnatorum omnium adeò est grauis & acerbæ, vt superet omnem id quod dici à nobis vel cogitari, vel experiendo sentiri potest.

Afflictio damnatorum quam grauis.

Ratio est primò, quia tristitia illa proportionem habet cum gaudio beatifico, quod est suauissimum & plenissimum. Deinde magnitudinem mœoris huius colligere possumus ex certissimis coniecturis. Prima sit ex obiecto illius doloris, quod est pœna damni, & pœna sensus, vtraque maxima, & quodammodo infinita, dolent videlicet de amissis quinque generibus bonorum. Primū est cœlestis Patriæ amœnitatis omni opum, & bonorum genere redundantis. Secundum, contubernium & familiaritas tot millium Angelorum, & hominum beatorum. Tertium est, lumen gloriæ, & visio beata cum omnibus quæ illam sequuntur in intellectu, in voluntate, in omnibus potentiis animæ. Quartum est, Dei amicitia. Quintum, pro solis hominibus est gloria corporis, & illius eximiae dotes. Deinde dolent de quinque generibus malorum, quæ nuper recensui, carere, societate, igne, vermine, obiectis doloriferis omnium sensuum. Altera coniectura vnde colligitur magnitudo huius doloris est cogitatio perpetua & nunquam interrupta illorum omnium malorum, Deo applicante (vt dixi) illorum intellectum, & efficiente vt cognoscant semper, & vehementer ponderent magnitudinem illius miseriæ, vnde inæqualis etiam erit dolor, ex pœna damni ob inæqualitatem apprehensionis. Tertia coniectura est ex recollectione prætorum; videbunt enim se illis omnibus bonis priuatos esse, quæ facili negotio assequi, & incurrisse tot mala quæ vitare facillimè potuerant. Quarta, ex apprehensione perfecta æternitatis, videbunt nimirum, illud horrendum semper, & cum rugitu plorabunt se proiectos esse à facie Domini in æternum. Quinta, quia ex eo dolore nascetur desperatio, furor, & odium in Deum.

Dico secundò, tamen aliquando dæmones & damnati omnes complacentiam quandam habere possint de aliquibus obiectis, nullis tamen veri & propriè dicti gaudij sunt capaces.

Nullum in ipsis gaudium.

Ratio

De perfectione supernaturali Angelorum. 277

Ratio est, quia experimur magnos dolores impedire sensum omnem gaudij, ex aliis minoribus obiectis, & constare potest ex gaudio beatifico, quod quia maximum est, non relinquit locum ullum dolori, non est autem maior ratio cur beati naturaliter sint incapaces omnis tristitia ob plenissimum gaudium, quam damnati sint incapaces omnis voluptatis, ob maioris grauitatem. Si enim daemones verum habent gaudium, quia multa illis succedunt, quae desiderant, sic boni Angeli verum habebunt dolorem, quia multa illis non succedunt, quae cupiunt & habent obiecta plurima, quae illis displicent, à priori ergo ratio est, quia ad verum gaudium non sufficit praesentia boni desiderati, sicut ad dolorem non sufficit absentia illius boni: sed ad gaudium praeterea requiritur quies voluntatis in bono cum quadam suauitate, similiter ad tristitiam exigitur praeter praesentiam mali etiam inquietudo voluntatis circa illud malum, alioqui beati, imò & Deus ipse ob peccata tristarentur, ergo sicut beati de peccatis habent displicentiam sine dolore, sic daemones habent de obiectis quibusdam rabiidam quandam complacentiam sine ullo gaudio omnia enim argumenta quae probant gaudium esse in daemonibus probant esse in beatis dolorem, ex quibus patet omnino responsio ad primam.

Solutio
secundae
dubitatur.

Ad secundam autem fateor quod miraculose potest esse cum summo dolore, aliqua voluptas, sicut miraculose fuit in Christo tristitia cum gaudio beatifico, sed naturaliter neutrum est possibile: cum autem certum sit non fieri à Deo miracula ut beati tristentur in caelo, vel damnati exultent in inferis, propterea calix maledictionis in quo bibunt damnati merum illis propinat absyntium, nulla mixtum Ambrosia, nullo nectare dilutum: *Fel enim draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

Daemonum
varia ma-
neca.

Supererat ut dicerem hic aliquid cum S. Thoma quaest. 114. de variis daemonum muneribus & tota eorum republica: in quibus pauca video certa, & pauciora etiam scitu digna. Munera eorum duo dicuntur esse, tentare homines tentatione seductionis, & alia eis inferre nocumenta Deo sic partim permittente, partim iubente; sunt enim diuinæ iustitiæ, vel tortores constituti à Deo. Neque tamen putandum est quod omnia prorsus mala oriantur à tentatione daemonum, nam *unusquisque tentatur à concupiscentia sua*: sicut certum etiam est, quod Deus aliquando puniat homines per Angelos bonos, sicut saepe princeps per delectos milites poenam repetit ex rebellibus.

Daemoni
republica.

Est etiam aliqua inter ipsos respublica & species regni, quia vel ex communi consensu aut saltem ex usurpatione tyrannum habent ex cuius praescripto, varia singuli munia malitiæ obeunt, ut constat ex variis Scripturis; alij enim singulis quibusdā locis addicti sunt alij certa genera tentationum inferunt, alij alia: estque probabilius singulos daemones singulis hominibus assignatos esse sicut assignati sunt singulis boni Angeli: sic enim Theologi omnes docent, & aperte colligitur ex Tertull. Gregor. Nyssen. & aliis Patribus: sed haec omnia ut dixi horribiliora sunt quam certiora.

QVÆSTIO IV.

*De tertio instanti bonorum Angelorum statu
nimirum beatitudinis, & variis eorum
Ministeriis.*

Dixi haecenus ea quae spectant ad Angelos reprobos foeda, tristia, horribilia, nunc ad latiora progreditur consideratio & in sanctorum Ange-

lorum plena beatitudine tractatio tota conquiescit. Rectè autem notat Suarez initio lib. 6. statum illum beatissimæ quietis, in quo, non in secundo instanti, quod pugnae fuit, non coronæ, sed in tertio constituti sunt victores Angeli, esse partim contemplatiuum, partim actiuum. Contemplatio includit beatitudinem, & assistentiam: actio includit ministeria, id est illuminationes, missiones & custodiam. Quae omnia breuiter expediri possunt.

SECTIO I.

*De statu contemplatio sanctorum Angelorum
beatitudine nimirum, & assistentia.*

Certum est primò, nihil prorsus occurrere posse speciale in beato statu sanctorum Angelorum, quod commune illis omnino non sit cum beatitudine hominum electorum de qua plenè statim dicturi sumus initio sequentis tractatus. Primò ergo, constat inter omnes Theologos, quod Angeli omnes illi qui resisterunt Luciferò, consummarunt in secundo instanti meritum, & in instanti sequenti adepti sunt æqualem meritis beatitudinem. Quod iisdem probatur argumentis quibus probatur aeterna merces, & beatitudo eorum hominum qui decedant in gratia, nam etiam de Angelis verum fuit, quod toties Deus in omnibus Scripturis testatur futuram mercedem operi nostro, & eum redditurum esse unicuique iuxta opera sua; bonum videlicet certamen certarunt sancti Angeli, fidem seruauerunt, in reliquo reposita fuit illis corona iustitiæ. Hæc est veritas Catholica de beatitudine tum Angelorum, tum hominum, in qua explicari à me possent capita quinque, opposita illis quinque aliis capitibus expositis à me nuper de damnatione daemonum. Primum est, quod verissimè ac certissimè sit paradysus, hoc asserere Deum in in omnibus Scripturis vtriusque testamenti, hoc Ecclesiam, hoc Concilia, hoc Sanctos, hoc rationem naturalem certò confirmare. Secundum, vbinam sit & qualis, sit paradysus altissimus, amplissimus, lucidissimus, ornatusissimus, amenissimus. Tertium, quanam genera bonorum sint in paradiso, vbi locum habet diuisio sollemnis in beatitudinem essentialem & accidentalem. Quartum à quo tempore cæperint Angeli esse in paradiso & quanto tempore in eo mansuri sint. Quintum, quibus mediis peruenire ad illum possint homines, vide tractatum sequentem. Constat secundò, beatitudinem essentialem sanctorum Angelorum esse perfectissimam, *Angeli enim eorum* (inquit Christus) *vident faciem Patris mei qui in caelis est*: vident autem in verbo creaturas cognitione matutinâ, & extra verbum cognitione vespertina: est beatitudo illa ita immutabilis, ut nunquam vel crescat vel decrescat; nec enim eam vel amittere possunt per peccatum cuius propter amorem beatificum incapaces sunt, vel augere per ministeria quae nunc obeunt, cum extra viam nullus amplius merito locus esse possit.

Constat tertio, beatitudinem accidentalem sanctorum Angelorum esse quoque maximam & cumulatissimam, dotes habent quales dantur animabus beatis, potest beatitudo illa subinde crescere, quia illa non est inuariabilis sicut beatitudo essentialis, sed haec omnia (ut dixi) plenissimè dabit sequens tractatus.

Certum est secundò, bonos omnes Angelos rectè diuidi posse in assistentes & ministrantes: quam diuisionem tradidisse videtur Daniel cap. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies milles centena milia assistebant ei*, saepeque indicatur in Apocalypsi, & in aliis Scripturae locis. (Assistentes) vocantur à

Existentiâ
huius bea-
titudinis.

Beatitudo
essentialis.

Beatitudo
accidenta-
lis.

Angeli as-
sistentes &
ministran-
tes.